

Baader,  
Observatio  
academica  
de definitione  
praestantia  
concupiscentie  
et passionis in pene  
1651.



JAC

A

PR

14.

P. 8.

JACOBI FRIDERICI BAADERI,  
PHILOS. M.

OBSERVATIO  
ACADEMICA  
DE  
DEFINITIONUM  
PRÆSTANTIA, EARUMQUE,  
*SPECIATIM IN JURE,*  
usu.

Kat 1277 a

---

JENÆ, MDCCXXXI





B

M

rat  
ris  
qui  
dis  
ser  
der  
san  
tiu  
ipsa  
hun  
mir  
me  
di,  
bus  
cer  
qua



## Bonis bene cupiens Lector!

**M**Agni & Veri nominis Eru-  
diti male convertuntur.  
Videas utique inter Lite-  
ratos, quibus magna varii gene-  
ris veritatum farrago nota, &  
quibus non minus facilis de iis  
differendi lingua, quam promta  
scriptitandi manus. Si rependi  
dexteritas aut artificium gras-  
fandi accesserit, ut tanto & ci-  
tius inclarescant & magis, in  
ipsa dignationum fastigia eve-  
huntur. Ecquis eos magni no-  
minis non dixerit? Putem ta-  
men, illos veri nominis falso cre-  
di, quod eorum de tot veritati-  
bus & rebus notiones plerasque  
cerno indeterminatas, inadæ-  
quatas, nulloque nexu; quod

▲ 2

nec


\*:o:\*

nec in illorum scriptis, licet vel systematis titulo superbiant, nec locorum alibi ( datur enim sistema in systemate, & sistema particulare recte quædam ex eo pertinente Universali supponit ) definita omnia, aut uti oportebat, ita definita lego, ordinemque observo rhetoricum, nimis arbitriatum, si non plane perversum, certe nihil minus quam Philosophicum. Numquid mirum, quando sic Viri tantæ notitiæ sibi haud constant; quando nihil set tam venuste consequitur, quam istiusmodi scriptorum lectio, & apud legentem cum summa incertitudine error atque confusio. Scilicet plerique aut scientiis Intellectum formantibus formatumque dirigentibus penitus desituuntur, aut, si quibus imbuti sunt, debito illas modo non applicant. Animadverti, quæ

dico



dico, in scientias quas vocant  
sublimiores publice tradentibus  
quam plurimis, ex quo illorum  
scholis interesse datum. Cum-  
que Athenas, tanquam ad mer-  
caturam bonarum artium, pro-  
fetos, maximè, si in Philo-  
phiæ solidioris, utilioris &  
ordinationioris Exorcistas forte  
inciderint, inanes sæpe ac Disci-  
plinæ, cui per bene multos an-  
nos vacaverunt, profunde igna-  
ros redire viderim, observave-  
rimque, scientiarum principia  
prima à Docentibus non minus  
quam Discentibus per inscitiam,  
levitatem, contemtum, opinio-  
nes, aliasque id genus rationum  
umbras neglecta turpiter fuisse,  
tandem illud vitii notare & vel  
tribus pagellis, quanti veræ erudi-  
tionis principia habenda cuicunque  
sint, indigitare, in animum in-



dux. Doctrina de DEFINITIO-  
NIBUS B. L. scitu & digna est &  
necessaria, ut quem ea fugit & bo-  
næ definitiones deficiunt, quando  
eruditione sua uti cum maxime  
cupit, insignem defectum cum  
maxime sentiat; at illa ipsa non-  
ne est una omnium spretissima?  
Euge! Dicam in brevi hac mea  
Observatione, cuius eam ego  
naturæ existimem, & quid, spe-  
ciatim Jurium studio, Defi-  
nitiones profint? Quid nocere  
possit earundem ignorantia &  
contemptus, itidem dicam, sed  
brevissimis & quæ mea natura est,  
aperte, qui non tam aliorum se-  
& tor applausum, quam promove-  
re nitor usus. Scribebam JENÆ,  
a. d. 28. Maji Mens. MDCCXXXI.

AUTOR.

CA-



# CAPUT I. DE DEFINITIONUM ORIGINE.

§. 1.

**S**apiensissimus Mundi totius CON- Rerum va-  
DITOR cum hominem fingeret, rietas vi-  
placuit illum in ingenti diversissima- tam melio-  
rum rerum multitudine collocare, eum in rem reddit,  
finem, ut rebus istis, ad vitam & du-  
cendam & commode recteque ducendam,  
sapienter uteretur frueretur.

§. 2.

Ne vero nobilissimum hunc finem non *Hunc finem*  
consequeretur Homo, DEUS ipsi non so- *homo &*  
lum bene vivendi desiderium indidit, ve- *cernit &*  
rum & sub lege cultura, quid eò con- *vult,*  
duceret, pavidendi cum cupiditatem,  
tum facultatem concreavit.

A 4

§. 3.

*sed non con-  
sequitur ci-  
tra rerum  
cognitio-  
nem.*

Cum itaque in immensa rerum, qui-  
bus continetur mundus, & quibus vita  
nostra indiget, varietate versari citra re-  
rum cognitionem nec vellent nec possent  
homines, circum se existentia cooperunt  
paulo separati contueri, notis qualibus-  
cunque ea distinguere ab invicem, notas  
& notatum animo imprimere, cuivis rei  
à notis cognitæ nomen imponere, &c., ut  
alter quoque intelligeret, quid sibi nomen,  
hoc est, signum pro arbitrio excogitatum,  
vellet, rem designatam quasi digito mon-  
strarre, atque sic complures sensim mul-  
ta ex necessitate, pro avi, quin & inge-  
nii, ratione, cognoscere.

## §. 4.

*Hec natūra  
est impedi-  
menta,*

Permultum promovisset mortalium ge-  
nus, in cognitione rerum, si æquabili ani-  
morum fervore & conjunctis viribus con-  
silium recte susceptum prosequi, quam  
à tramite deflecti, maluisset; verum in-  
genii vis in his minor, in illis major;  
studii apud singulos diversitas; Inæquali-  
tas finis; Notarum item varia in unaqua-  
que re indoles, & sexcenta alia, pro co-  
gnitione uniformi confusionem rerum no-  
minumque introduxerunt.

## §. 5.

Movit tamen nonnullos hæc ipsa plurimorum à fine aberratio, ut, quantum poterant, rerum notiones sectarentur, regulas illuc pertinentes vel conderent, vel conditas conquirerent, augerent, emendarent, quin imo diversi certum rerum genus sibi præ reliquis colendum, penitusque scrutandum sumerent, in quibus, qui rei Geometricæ operam navarunt, antiquissimis jam temporibus progressus fecere omnium felicissimos.

## §. 6.

Quoniam certi homines certarum *Distinctio-*  
rum, & quod his erat connexum, cognitiōnem *nisi artium*  
sigillatim pertractabant, & vero *origo*.  
ampla istiusmodi tractatio nomine peculiari insignienda erat, facile, quod obiter  
noto, ad intelligendum est, unde distinctæ artes, distinctæque Disciplinæ subinde  
fuerint enatae.

## §. 7.

Utinam vero, quotquot causa promo-  
vendi vita usus ad culturam rerum co-  
gnitionis animum appulerunt, vel Ma-  
thematum & modi ea tradendi gnari  
fuisserint, vel vestigia sui tandem ævi Ma-  
the-

A s

thematicorum in condendis & colendis Disciplinis curatius legissent, quam mature & quanto cum successu conceptuum confusionem & evitassent & superassent! Id certe nimis diu neglectum, ut intellectus à DEO dati indoles viresque in cognoscendis rebus considerarentur, atque is ad regulas rerum cognitioni accommodas perficeretur. Etenim jam cum Aristotle intellectum perficiendi studium velut exspiravit, quandoquidem eum subsecuti à viis Illius longissime ac diutissime diverterint.

## §. 8.

*Nostris re- servata temporibus.*   Enimvero plenior & accuratior rerum uti disquisitio ita cognitio, nostro reservata ævo, adeo sedulos, idoneosque & exercitatos experta est cultores, ut hodie, quicquid artium & scientiarum indigentia humana præstare usum potest, è Confusionis & Ignorantiae tenebris liberatum, multisque in locis in clarissima collocatum luce videamus. Postquam enim Mathematica apud nos frequentius tractari, verum ita tractari coeperunt, ut methodus in primis Geometrica, quæ vere Philosophica est, sua & logica lege, abstrahetur, atque in aliarum quoque rerum tractationem transferretur, commodissima ad

ad cognitionem & scientias via inventa ;  
abstrusior plurium rerum natura evoluta ,  
& pro vaga notitia earundem cognitio  
certior & determinatior introducta est.

## §. 9.

Nimirum cum cognitionis humanæ , *Via ad co-*  
ad usum vitæ magis quam ad scholæ cognitionem  
commoda convertendæ , atque restituendæ *solidam no-*  
*tarum in*  
di ævi labentis , sincere cupidi pervide-*rebus inve-*  
rent , notiones unius ejusdemque rei à di-*stigatio.*  
versis , non tam rudibus quam pro eru-  
ditis haberi volentibus diversas concipi ,  
quaesitum sibi certas rerum notas iverunt ,  
queis & agnoscere illas & ab aliis quibus-  
vis discernere , quando vellent cunque ,  
valerent . At enim vero cum in una-  
quaque re variæ indolis notas deprehen-  
derent , & notionibus inde conceptis non  
semper respondentes , judicarunt , notio-  
nes prius utiles non fore , quam à notis  
cum sufficientibus tum constantibus pro-  
ficiserentur .

## §. 10.

Notas autem rei agnoscendæ & ab aliis *Quo modo*  
discernendæ sufficientes nec non constan-*instituenda.*  
tes invenerunt , cum examinarent , quid  
rebus , in quocunque illarum statu , inef-  
fer ,

set, aut quid quandoque solum? quid pos-  
sitis his vel illis circumstantiis? Inventis  
hoc modo notis, quod tamen ubivis fieri  
nec rei nec examinantis permittebat con-  
ditio, res examen passa ita determinari  
potuit, ut nulla amplius ejus cum aliis  
confusio metuenda.

## §. 11.

*Unde re-  
rum genera  
& species?*

Quando in pluribus rebus similes no-  
tae inveniebantur, ob eam similitudinem,  
excogitatum pro arbitrio nomen rebus  
illis imponebatur omnibus idem; Quando  
in rebus ita nominatis ex adverso etiam  
notae dissimiles repertae sunt, ob hanc dis-  
similitudinem rei nomen à superiori di-  
stinctum, sed illi sæpe jungendum, da-  
batur. Illud Philosophantibus Genus,  
hoc Species dictum est.

## §. 12.

*Quomodo  
generum &  
specierum  
differen-  
tia consti-  
tuta? Et  
inventa in-  
dividua?*

Jam vero qua in re, qui determinatu-  
rus rem quandam erat, plurimas notas  
constantes, notis aliarum rerum similes,  
deperiebat, nomen eapropter fingebat om-  
nibus illis subjectis commune, quibus  
tot notæ similes inerant, atque hoc no-  
men vocabatur Genus rei determinandæ  
proximum. Quod si deinceps in rem  
inci-

Incidebat, in qua quidem rursus rerum dictarum notas, sed pauciores offendebat, ob has quoque nomen excogitabat, omnibus ita comparatis rebus commune, quod porro rei determinandæ Genus appellabat superius. Et sic ulterius, donec ad Genus determinandæ rei summum perventum. Pariter diversa specierum nomina sunt adinventa. Quando enim reversus à rei determinandæ supremo genere ad ipsam rem determinandam in rebus unam tantum alteramve notam deprehendebat dissimilem, eas res intuitu generis & rei determinandæ ob dissimilitudinem dictam species, sed remotas, nuncupabat. Ubi in aliis rebus alias insuper notas generi summo dissimiles reperiebat, respectu hujus atque rei determinandæ illas species dicebat inferiores. Donec eadem via per gradus ventum ad species imas, & detectæ dissimilitudines, quibus res omnimode determinanda ab omnibus suis & Generibus & con-speciebus dignosci poterat, ob hanc ipsam causam à Philosophis Individuum salutata.

## §. 13.

Quoniam ita per notas immanentes determinandæ suere res quælibet, ut ab *ad determinandum & aliis ptum?*

aliis illico dignosci quirent, notæ vero maximam similitudinem, sed insimul aliquas tantum dissimilitudines referentes eo haud suffecere, in promtu est, cur ad omnimodam Individuorum determinationem non genus eligi remotum potuerit.

## §. 14.

*Predicatum & subjectum  
quid?*

Notas, in quibus rerum similitudo ac dissimilitudo adparebat, quando rem sic determinaverant, ut discerni ab aliis per eas potuerit, Prædicata vocabant, Ipsam rem per prædicata determinatam, Subjectum.

## §. 15.

*Definitio-  
nes unde?*

Quando subjectum per hujusmodi prædicata determinatur, Notio inde nata, si verbis exprimitur, Definitio audit.

## §. 16.

*Notionum  
diversitas.*

Quodsi tibi rem quandam in mente repræsentas, NOTIONEM, si cum notis, quæ eam agnitu & ab aliis distinguisti facilem reddit, NOTIONEM CLARAM; si ita clare, ut ipsas ejus notas à se invicem dignoscas, NOTIONEM

NEM DISTINCTAM; si cum ejusmodi notis, quibus res possit in quovis suo statu agnosci & ab aliis discerni, NOTIONEM COMPLETAM; si denique cum notis nec pluribus, nec paucioribus, quam quæ ad rem agnoscendam distinguendamque ab aliis sufficiunt, NOTIONEM DETERMINATAM habere diceris. Continet vero notio determinata completa completam, completa distinctam, distincta claram.

## §. 17.

In Definitione continentur prædicata *Definitio* subjecti; (§. 15.) Prædicata in definitione definitur. definitionibus sunt Genus & Species; (§. 14. 15.) Genus & Species sunt notæ, quibus res agnoscere in quovis suo statu, & ab aliis distinguere possumus; (§. 11. 12.) propter ea *Definitio* nihil aliud est, quam *notio completa & determinata, verbis expressa.*

## §. 18.

Sive condere Definitiones velis, sive *Doctrinæ* de conditis jam ferre judicium sanum, *hujus sedes* habes velut brevissimum indicem, ubi *ac funda-  
mentum.* quærenda hujus doctrinæ origo, ubi fun-  
damentum. Ut prius valeas efficere,  
deter-

determina per notas (§. 10.) intrinsecas subjectum (§. 14.) ita, ut nota subjectum quidem, sed non notas notæ determinent. Ut posterius, ruminare doctrinam illam omnium utilissimam de Determinato atque Indeterminato.

## §. 19.

*Quid Defini-* Prout autem hæc Definitionum origo, *nitio Nomi-* hoc earum fundamentum, (dicendum enim *nalis & Re-* unde tanti momenti doctrina sperni potuerit,) vel à preciis philosophis ignoratum, vel à superciliosis relicturn fuit, *alit?*

ex quo Aristotelis rudimenta scientiarum amari creparique magis, quam capi & coli, coepere; ita & circa Definitionum differentiam insignem apud eruditos confusionem observaveris. Suevit nimurum investigatio vocum Grammatica, quæ rares explicat, frequentissime obfuscata, cum Definitione Philosophorum Nominali, & Nominalis quæ est, cum eorum Reali in unum congeri. Missis autem inanibus plerumque ac ridiculis Etymologastrorum fabulis, distinguimus inter Definitiones rei & Reales. Definitiones Nominales s. rei, quid res sit, quid non sit, (§. 17.) determinant. Reales modum exponunt, quo res, quod est, fieri queat. Nominaliter qui definit, in eo acquiescit, quod

quod notas rei allegare valeat, rei in quo-  
vis statu agnoscenda dignoscendaque ab  
aliis sufficientes. Realiter definiens ul-  
terius progreditur, atque utrum nominati-  
liter definitum contradictionem involvat,  
vel non involvat, curatius perscrutatur.  
Non de hac, sed de illa nobis hoc loco  
est sermo.

## §. 20.

Alias Definitionum species, quæ qui-  
dem omnes reduci vel ad Nominales vel  
ad Reales queunt; Nævos item Defini-  
tionum, aliaque huc referenda quoniam  
sat explanare velle, & in tanta rei eviden-  
tia, quam Logicæ MARBURGENSI  
debemus, supervacuum, & à fine pro-  
posito remotum foret, ad id proprius ac-  
cedendum, cuius gratia hæc delibavimus.

## C A P . II.

D E  
**DEFINITIONUM,**  
 SPECIATIM IN JURISPRU-  
 DENTIA, USU.

## §. 21.

E X variis Definitionum in scientiis, *Precipu-*  
*Jurisprudentia in specie, usibus, quos* *Definiti-*  
*largos experitur, qui illis operam navat,* *num usus*  
*juvat præcipuos adduxisse:* *recensentur.*

B

Quo-

*Uſus pri-  
mus.*

Quoniam Definitio est notio completa, (§. 17.) hæc vero eas rei in mente repræsentat notas, quibus res in quolibet suo statu possit agnosciri, & ab aliis conspeciebus discerni; (§. 16.) Quoniam Definitio est notio determinata, (§. 17.) hæc autem notas rei, nec plures, nec pauciores, quam quæ sufficiunt ad rem in quovis suo statu agnoscendam ac ab aliis discernendam, in mente repræsentat; (§. 16.) Quoniam porro hæ ipsæ notæ rerum, queis Definitio continetur, dum de perpetua rerum inter se similitudine ac dissimilitudine prædicant, constantes sunt (§. 10.) apparet, per justas Definitiones res præcise determinari, ut adeo constantes & terminorum significatus & accuratae rebus ac terminis respondentes notiones ubivis introducantur. Cessant hac ratione locutiones inconstantes, indeterminatae, fontes quippe confusionis & errorum; Cessant absurdæ de terminis lites, fertilissima scilicet scientiarum omnium impedimenta; corriguntur item notiones de rebus confusa, vagæ, dubiae.

*Secundus.**Tertius.**Quartus.*

Contra ea maxima sic in scientiis certitudo nascitur, cum Definitiones sint principia, ex quibus propositiones determinatae ac evidentes sua lege deduci, atque secundum quæ propositiones datæ examinari emendarique possunt. Cumque rursus

De-

Definitiones sunt notiones completae, per dicta, completae v. notio supponat distinctam, (§. 17.) notioque distincta & enumeraret rei notas & eas a se invicem distinguat, (ib.) verum notae notatum explicare ita non possint, ut agnoscatur illud ac ab aliis distinguatur queat, nisi ipsam et satis cognitam, hoc est, iterum definitam fuerint. Atque definitiones istae rursum eodem modo, si res id aut postulet, aut permittat, evolvi velint, disparescit omnino, quam Definitionum beneficio Intellectus amplietur perficiaturque. Deinceps emolumento esse procul *Quintus*, dubio in humana hac societate debet, quicquid rerum in hoc universo cognoscimus, quorundam enim discis, quod nullum habiturum est usum? quin immo satis nocet, qui nihil prodest: Atqui hoc fine non potitur, qui sua cognitionis non est certus: Et vero certitudo nascitur demum ex demonstratione, qua omnis ultimato vel in axiomata vel in Definitiones resolvitur. Ecquis vel hunc solum usum non maximi aestimaverit pretii. Scendum profecto, cur sciamus, quod sciimus. Mihi quidem quis placita sua ponat, quam poterit, speciosissime, si fundamento fuerit destitutus, parum apud me inveniet fidei. Denique cum scientiae, *Sextus*, in quibus Jurisprudentiam hoc malum egregie vexat, velut scopae diffusae nul-

loque cohærentes nexus non soleant nisi incertitudinem parere ac sibimet ipsis non raro contradicere , usuque denuo sic deſtitui: Nexus autem non obtineatur , nisi veritates scientiæ alicujus cum suis principiis , inter quæ Definitiones jure maximo referimus , concatentur , id etiam in Definitionum meritis est , ut , positis illis , condi systemata queant.

## §. 22.

*Unde Juri-  
um incerti-  
tudo?*

Quandoquidem ergo cognitio nostra justarum ope definitionum redditur determinata ; Obscuritatis , confusionis , erroris expers ; Amplia ; Certa ; Demonstrativa ; Systematica ; ( §. 21.) patet , cur Jus Humanum , quatenus in scientiæ figuram redactum , per singulas partes sit usque adeo tenebrosum , ubique dubium , captu , quæ communis fere eaque justissima studiosorum illius querela est , difficile , contradictionibus fere refertum ; patet , unde tot tantæque super eo inter Doctores illius aſystematicos controvēſia , & quæ ſequuntur , litium privatuarum publicarum protractiones , unde ipſe procedendi in Judiciis modus difficultatis plenus , unde tam insipida tamque diſcrepantes Legum interpretationes ? &c. Exulant quippe in toto hoc Jure De-

Definitiones accuratæ, hoc est, in quibus notæ definiendum, s. prædicata subjectum, non vero notæ notas, s. prædicata se in vicem determinant. Plena ex diverso omnia sunt Definitionum mancarum, abundantium; Propositionum indeterminatarum; Descriptionum tractatui quam Definitioni similiorum. Usus terminorum dicam? an abusus? usq; ic varius est. Quid? quod termini adhibentur nuspia definiti, quanquam ambigui. Ludent iis causarum Patroni mirum in modum; fortasse, quia non de ipsorum, sed de litigantium corio luditur. Quid mirum, si vel à Jurium studio protelemur, vel animum iis applicando parum promoveamus; Ubi enim nullæ aut minus accuratæ Definitiones, ibi Cognitio vaga, confusa, erronea, aut quæ proxime ab errore abest. Novi homines, qui, postquam integras pererrarunt Disciplinas, contentorum tam fuere incerti, quam qui incertissimi, non secus, ac qui per aliquot dies strepitibus musicis interfuerunt, atque domum reversi eminus adhuc illos sibi videntur subauſcultare.

## §. 23.

Status tuus quo est minus perfectus, *Quis mede-*  
co magis tibi curandum est, ut perficia- *lam iis af-*  
*B 3* *tur.* *ferre possit.*

tur. Opus est Jurisprudentia emendatione, ut scientifice doceri, ut solide & commode capi, atque tandem cum fructu applicari queat, quis ei medebitur? Definitionibus destituta est, quis eas sufficiet? Definitiones certe ut condere possis, præter alia requiritur, ut rerum principia noris, ut intellectum habeas probe exercitatum tum in investigandis rerum generibus ac speciebus, tum in percipiendis iis, quæ ad Disciplinam, cui definitiones opus, spectant Inprimis methodum Euclidis ut calleas necessum est, eamque, utpote vere Philosophicam, valreas à rebus mathematicis abstrahere. Quotusquisque vero est, qui Mathesin ita didicerit, ut in ea methodum scientificam invenerit? Intellectumque habeat principiis scientiarum generalissimis atque Jus Speciatum tradendi arte adeo imbutum, ut, quod Imperator suos facere jubet Jurium Collectores, in unam illud concordiam, consequentiamque in unam redigat, nullusque amplius sit adversariis locus? Definitiones sane Juridicas dare si volueris, non à dictis his omnibus solum instructissimus esse debes, verum & Leges, quas Germania vel recepit, vel sibi ipsi præscripsit, intelligere ex asse, ne Definitiones Tuæ tibi magis placeant, quam Legum respondeant tenori, cum Leges

Leges hac fini non sint objectum emanationis, sed norma.

## §. 24.

Juris cumprimis particularis s. pro- *Quis syste-*  
*vinciat illius, in qua forte degit, sistema ma juris*  
*confidere, meo quidem judicio, non po- particula-*  
*test, nisi qui Definitiones formaverit Le- ris condere?*  
*gibus & constitutionibus singularis illius*  
*Reipublicæ convenientes, dum subjecti*  
*s. definiendi determinationes in ipsis Le-*  
*gibus aliisque Decisionibus studiose ani-*  
*madvertet, propositiones ex Definitioni-*  
*bus elicit, quæ pro indubuis assumi que-*  
*ant; Controversias vero, quas ad inco-*  
*gnita methodus refert, ex Definitioni-*  
*bus ejusmodi ac propositionibus, tanquam*  
*ex concessis, & cognitis, enodare com-*  
*ponereque sataget.*

## §. 25.

Judicet quæso, qui naturam methodi *Compendia*  
 & in specie Definitionum non uno sal. *Juris me-*  
*thodum alterove exemplo ac specimine est thodo ha-*  
*bitus, utrum legi definitionum, ut de etenus non*  
*methodo reliqua nunc non dicam, in com- satisfec-*  
*pendiis Juris, quæ illam aperte affectant,*  
*suerit satisfactum? Pronunciaverim, or-*  
*dinem Philosophicum nec observatum*  
 B 4 hacte-



hactenus in Jurisprudentia fuisse, nec observari, sive subjecta Jus eo tradere molita, sive impedimenta extrinseca consideres, quivisse. Quocirca unanimem de Jurisprudentia in melius commutanda consensum eorum, quorum refert, inter optanda, ipsam emendationem, non sine omni ac fundamento, inter speranda connumeramus.

### §. 26.

**Scientiam Juris  
non plane  
negligenda.** Interea vero temporis non existimaverimus, Jurisprudentiam aut à Docentibus aut à Discentibus ex eo quod in illa quædam plane non sint definita; quod definitionibus laboret minus accuratis; quod ex his deductæ conclusiones partem inceptæ, partem falsæ; quod hic vel ille, aut plerique, definitiones substituere meliores non valeant; quod plerumque inordinate tradita inordinatius explicentur, prorsus esse negligendam deserendam ve. Quanquam enim ad systematice scribendum, docendum & condiscendum Jus minime sufficiat, unam alteramve Definitionem hic ibi suppleri aut in libellis & acroasisbus substitui, Matth. cap. IX. vers. 16. 17. non tamen ideo res plane desperata videtur aut tractanda supine.

### §. 27.

§. 27.

Potius consultum fuerit, ut, qui Juris *Confilium* addiscendi causa in Academias proficiuntur, vel isthuc jam evolarunt, si quidem se majora capere posse sentiant, atque Matheſeos, ad minimum Arithmeticas & Geometrías, principiis bene ſint imbuti, ante omnia præcepta LOGICÆ, ſed ejus genuinæ ex ore Doctoris, & scientia ipsius & methodi eam docendi folide gnari, hauriant; deinde PHILOSO-  
PHIÆ PRIMÆ, quippe ſcientiarum quarumvis unici fundamenti atque noſtri Intellexus directorii, dogmata ſibi exponi ab homine ad informationem do-  
cet, ipſi cum affiduitate, attentio-  
ne, meditatione ac patientia debita, quæ imbiberunt, ruminentur & menti firmiter imprimant, maxime vero in duabus his Disciplinis doctrinam, quæ ad De-  
finitiones primario pertinet, (§. 18.) probe meditentur. Hoc facto, ante, quam immensa peregrini Juris volumina, desperatum illud Jurisprudentiæ Civilis opus, aggrediantur, ante, quam Juris Feudalis, Publici, Canonici &c. Syste-  
mata vel quaſi pervagentur, in doctrina JURIS NATURÆ cum externi tum interni operam omnem figent, atque ſic demum experientur, utrum ſub auspiciis in arte periti aliquam Definitionem vel

B 5

for-

formare ipsi queant, vel dijudicare autemendare, descriptionesque in definitio-nes convertere cæt. sustineant. Res fate-or difficultate & labore non carebit, sed nec successu.

## §. 28.

a. *Illi*, ubi tam arduo negotio sive natura quibus ingenium frumentum;


sua sive culpa impares, quos nescio quam immane fatum inter Appollinis filios refert, consultius forte sutrina sibi vindicaret, Juribus vacare coguntur, sua serim, ut, quantas habent, ingenii vires itidem in Logices doctrinam de DEFINITIONIBUS, de PROPOSITIONIBUS, atque de SYLLOGISMIS im-pendant, quo comprehendant, quæ sit Definitionum indoles, quæ differentia, quomodo ex Definitionibus fieri propositiones debeant, ex propositionibus syllo-gismi? Quid genus rerum sit, quid spe-cies? Quæ rerum dicantur notæ? Et quæ sunt alia, cui libet Studioso scitu appri-me necessaria. Forte hæc Intellectus Tui exercitatio Te ita colit & acuit, ut ad al-tiora pergere feliciter possis.

## §. 29.

g. *Utrisque.* Cum Notiones nostræ Rerum, & Ter-

Termini Notionum vice fungantur, Definitiones vero rerum genera & species verbis exprimant, (§. 15. 17.) videntur cuivis est, utrum singulos Definitionis alicujus terminos rursum definire, &, quoniam sic novas Definitiones habebit, harum terminos denuo, & sic porro, definire possit? Quod quando potes, enitere vero, ut possis, formabis propositiones ita, ut subjectum primæ Definitionis conjungas non cum singulis tantum suis, sed & cum reliquorum definitorum prædicatis omnibus, cum prædicatum prædicati sit etiam prædicatum subjecti. Neque autem, quod omnino observandum, plures abs te postulabuntur Definitiones, quam terminorum posset obscuritas. Dici non potest, quantum hoc sit Intelligentiae tuæ incrementum futurum. Ita demum in naturam subjectorum, sive definitorum jam, sive definitiendorum, profundius penetrabis. Ita sanum incipies de rebus judicium ferre. Hæ via tandem, quomodo ratiocinari cum fructu & debeas & possis, condisces. Quo plures rerum collegeris definitiones, eo plures habere cupies. Et quanquam non unice per Definitiones demonstremus, quod nobis heic loci ostendere propositum non est, Definitiones tamen inter cetera demonstrationis requisita unum omnium nobilitatum

simum



simum sunt. Id quod sentient, queis  
dehinc ulterius progredi atque veritatum  
nexum, evidentiam & convictionem in  
legitimæ demonstrationis rigore sectari  
volupe fuerit.

## §. 30.

*Ad Jura  
publice do-  
cendum  
quis admit-  
tendus?*

Quoniam studiosorum Juris inscitia &  
confusa cognitio, eorumque in fine ad  
quæcunque Reipublicæ munera gerenda  
ineptitudo insuperabilis, non ipsis omni-  
bus, aut solis, aut semper adscribi potest,  
sed persæpe docendi magis quam bene  
docendi facultate donatorum imperitiæ  
tribuenda venit, optandum omnino esset,  
ut, qui Jura studiosis explicare privatim  
publice in Academiis sustinent, nisi Se-  
renissimi sui potius, quam veri nominis,  
Professores esse velint, ante, quam do-  
cendi munus occupant, specimen aliquod  
ederent, non Historiæ Juris, quam vel  
ineptus recte compilaverit, aut dispu-  
tatiunculæ otiosi argumenti ac præterea  
non sine plagii scelere ex postillis Juridi-  
cis congestæ, sed ejusmodi specimen,  
unde autoris meditandi, scribendi, do-  
cendique vires, praxis logica, eundi Ordo  
&c. dijudicari possent. Cumque solida  
Juris cuiusque cognitio ex fontibus latinis  
maximam partem sit haurienda, Lingua  
vero

vero latinam probe callere oporteat, qui significatus autoribus latinis usitatos omnes dijudicare & citra ambiguitatis aut deceptionis periculum usurpare voluerit, quod tamen de eo perperam præsumitur, qui vel sibi à latino sermone in Lectiōnibus suis vehementer caver, vel paucissimis periodis latinis plurimos non linguæ lapsus sed errores puerο indignos admisceret, haud adeo inconsultum fuerit, si ac munus doctoris academici sive privati sive publici adspirantes decenti examine, nisi de capacitate eorum aliunde constiterit, hac etiam parte explorarentur, ne deinceps, quod fieri observavimus, cathedræ cum doctrinalis tum disputatoria, uti publice, ita misere, prostituerentur. Quemadmodum è diverso illos minime probamus, qui elegantia sermonis latini nimii sectatores phrasæ potius, quam res & notiones, venantur, atque prolixa numeratae juratæque latinitatis pompa enunciant, quod alias tribus terminis clarius expedivisset.

TANTUM!

EXEMPLAR  
LIBRARI  
FACULTATIS

IMUTAT

Ka 1277<sup>a</sup>

**ULB Halle**  
005 366 518

3





B.I.G.



14 P. 8

JACOBI FRIDERICI BAADERI,  
PHILOS. M.

OBSERVATIO  
ACADEMICA  
DE  
DEFINITIONUM  
PRÆSTANTIA, EARUMQUE,  
SPECIATIM IN JURE,  
usu.

JENÆ, MDCCXXXI.

